

II c  
44









Qk. 532, 44

B. M. II, 645.

M. HENRICI AVGVSTI ZEIBICHI  
ORD. PHIL. ADIVNCTI  
EPISTOLA CRITICA  
AD  
VIRVM PLVRIMVM REVERENDVM  
M. IO. GOTTLOB  
RVHMERYM  
DIACONVM NERCHAVIAE  
RITE NVPER CONSTITVTVM





M. HENRICI AUGUSTI ERBICHI  
ORD. PUBL. ADIUNCTI  
EPISTOLA CRITICA  
AD  
VIRVM BAVARVM REVERENDVM  
M. IO. GOTTL. RYHMERYM  
DIACONVM NERCHAVIENSIS  
DIE NUPER CONSTITVTVM






V I R O  
PLVRIMVM REVERENDO  
AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
M. IOANNI GOTTLOB  
RVHNERO  
DIACONO NERCHAVIENSI RELIGIOSISSIMO

S. P. D

HENRICVS AVGVSTVS ZEIBICH

**Q**uamprimum ex literis Tuis, Vir Doctissime, quibus ueterem amicitiam, et nullo unquam tempore interruptam, confirmare studes solertissime, nouam dignitatem Tuam intellexi, incredibilem in modum laetatus sum, ac fortuna, Tibi concessa, eo uehementius  
A 2  
exul-





exultavi, quo certius optatis meis euentum respondiſſe cognoui. Quidni enim Tibi, ab Immortali Deo, munus precarer ampliffimum, qui, a compluribus inde annis, in optimis utiliſſimisque artibus omne conſumpſiſti tempus, et non modo perſonam, in excelſo honoris gradu conſtitutam, praeceptis formaſti ſaluberrimis, ſed etiam tantam rebus diuinis, accuratius diligentiusque perſcrutandis, operam perpetuo dediſti, ut, cunctis ſuffragiis, et communi plaufu, doctrinas explicares ſaepe numero ſalutares. Iam laboris Tui, egregie collocati, fructus ſers optatiſſimos, et ſtationem, eruditione Tua et induſtria digniſſimam, occupas, qua et in poſterum oracula coeleſtis ueritatis enarrabis, interpretaberis, et ab effrenato iniquorum hoſtium, et dolo audaciaque armatorum, impetu acerrime uindicabis. Et enim proſecto, Vir Plurimum Reuerende, tantum ingenio non dabis, ut, more Clerici, Grotii, aliorumque, teſtimonia Codicis Sanctioris, quae obſcura, et impedita difficultatibus, uideantur, emendare, corrigere, et immutare, ſtudeas, quae libertas non diuinioribus ſtudiis, ſed politicioribus, eſt conſeſſa. In his enim, cum, uel iniquitate temporum, uel ignorantia ſcribarum, deprauata ſint ſaepe numero elegantiffimorum ſcripta hominum, miſerandumque in modum corrupta, Viri Summi, et elegantioris humanitatis peritiſſimi, non modo non ſpernendi ſunt, et arroganter contemnendi, ſed etiam ampliffimis ornandi laudibus, quod contaminatis his teſtimoniis, de quibus complures alii deſperauerant, ſaluberrimam ſtudent medicinam adhibere.

Equi-





Equidem, cum, me his studiis non mediocriter delectari, profiterar, doctissimorum illorum hominum uestigia, licet timidus, legere instituiam, et, quantum ingenii mediocritas, ad illustrandos, emendandos, uindicandosque, ueteres scriptores, conferre possit, aliquando periclitabor, quae si et orbi, criticarum rerum amanti, et Tibi, non penitus improbentur, ad persequenda conata magis magisque exardescam

Ordiam autem a Sallustio, eiusque oratione altera eleganti, qua adeo praeclara, de republica ordinanda, proposuit consilia, ut nihil facile, quod ad Romanam ciuitatem, bene sapienterque instituendam, pertineret, praetermississe uideatur. Differit de ciuibus, qui nomen egregie fortiterque factis illustrent, et maiora in dies reip. commoda, industria singulari sua ac uirtute, importent, sed reperiri simul homines profiteretur, qui nomen tantum, ac speciem, boni uiri prae se ferant, reip. nullis iuuent consiliis, omnesque potius subterfugiant labores, quibus dignitatem eius, et salutem, possint procurare <sup>(a)</sup>. *Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus, sicut in instituto, praeter nomen nihil est additamenti.* Vides maculam, quam hoc loco, sicut aliis compluribus <sup>(b)</sup>, suscepit, nec maculam modo, sed monstrum, quod nulla ratione ferri potest ac tolerari, et orationis Sallustianae pulchritudinem, miserandum in modum, deformat, eoque minus ad praesens pertinet institutum. Con-

A 3

spexit

<sup>(a)</sup> Sallustius in Orat. II. de rep. ordinanda ed. Glarean p. 310

<sup>(b)</sup> Gellius N. A. XX. §. Bergerus de Nat. Pulchr. Orat. p. 491





spexit, quantum equidem recordor, primus, et felici sane  
 successu, eluere has fordes, ac pristinam scriptori reddere  
 uenustatem, instituit Iustus Lipsius (c), rei peritissimus Cri-  
 ticae, meaque longe maior laude, allata in medium scriptu-  
 ra pulchriori, quam, aetate insequenti, non receperunt  
 modo permulti, sed praestantissimo etiam praeconio, prout  
 decet, ornarunt. Legit enim: *in quibus, sicut in statua, praeter  
 nomen nihil est additamenti.* Laudo, laudo, εὐσεβίαν Vi-  
 ri sagacissimi, qua tenebras dispulit priscas, et locum ob-  
 scurissimum ingenii lumine collustrauit, ut, uel ob emen-  
 dationem praesentem, insignem prorsus statuam mereatur.  
 Sed, quis tandem me iure reprehendat, si, quod pace tan-  
 ti uiri dixero, faciliiori negotio literas immutem, et propi-  
 us accedam ad ueterem scripturam, humaniusque tractari  
 posse, ostendam, elegantissimum hunc locum, modo is,  
 negligentia scribarum deprauatus, et grauissimo quodam ui-  
 tio affectus, in hanc sententiam corrigatur. *In quibus, sicut in  
 titulo, praeter nomen nihil est additamenti.* Etenim constat  
 inter omnes, profanas gentes, in primisque Romanam, pro-  
 pinquis, mortali defunctis statione, ad memoriam illorum  
 diutius conseruandam, excitasse lapides, iisque nomen, genus,  
 dignitatem, facta, et obitum, mortuorum, summa plerum-  
 que diligentia prodidisse, easque inscriptiones Titulos ap-  
 pellasse. Testis est non modo Augustus, qui, Tranquillo au-  
 ctore (d), opera cuiusque, manentibus Titulis, restituit, sed  
 Tiberius etiam, qui, eodem monitore (e), Titulis Augusti et  
 Liuiae

(c) Lipsius Lection. Var. I. 8  
 (d) Sueton. August. Cap. 31

(d) Sueton. Tiber. cap. 50



Liuiæ filium adiecit, imo uero Iuuenalis (f), qui rem,  
 ad memoriam maxime insignem, Titulo sepulchri dignam  
 nominauit, ut igitur recte colligat Cuperus (g), Titulos et no-  
 mina comprehendere et honores. Saepenumero tamen ne-  
 que originem, nec res gestas, nec obitum, sed nomen so-  
 lum, his in lapidibus memorabant, idque, ut orationi meae  
 faciam fidem amplissimam, ex Liuiio (b) in primis, qui praeter  
 nomen nihil Titulo antiquo meminit inscriptum, comproba-  
 bo. *Adbiberent humatis titulum. Hic siti Acarnanes.* Ea-  
 dem adducti ratione, cum Plinius (i) lapidem, sine Titulo  
 et sine nomine coniungit, tum Virgilius ossa Herois, uirtu-  
 te eximia praestantis, solo, docet, nomine celebrari (k).

*Offaque nomen*

*Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.*

Ob eam causam Propertius Titulum, per colla pendentem  
 barbara, appellat (l), quo solum exaratum erat nomen. Quod  
 si, repetita uetustatis memoria, nitidissimos euoluimus proba-  
 tissimosque scriptores, Titulum, intelligemus, saepe nomen  
 denotare, quod homines, arrogantia fastuque elati, prae se  
 ferunt, etsi nullam cum eo habeant dignitatem coniu-  
 ctam, certe officia, sibi imposita, aut prorsus negligant,  
 aut non tanta, quanta debebant, industria uigilantiaque ad-  
 ministrant. Non incommode uidetur hic locus Sacrosan-  
 cti Codicis illustrari posse, quo cruci Titulum, *Ἰησοῦς ὁ Ναζαρεν-*

os

(f) Iuuenalis Satyr. VI. 230

(g) Cuperus ad Lactant. de Mortibus  
persecutor. p. 208

(b) Liuius XXXVI. 25

(i) Plinius VI. Ep. 10

(k) Virgil. Aen. VII. 3. 4

(l) Propertius IV. 5





ος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰεδαίων, suspendisse leguntur hostes Seruatoris, effrenata animi audacia incitati <sup>(m)</sup>. Profecto enim his uerbis, nomen regis tribuere sibi Christum, non dignitate eiusdem et officiis debitis fungi, perduelles isti scelerati declarabant perinde, ac Curtius, regis Titulum Bellum usurpassè, docet <sup>(n)</sup>, et Cicero, Pisonem bene potum, si stetisset modo, sustinere tamen titulum consulatus potuisse, arbitratur <sup>(o)</sup>. Itaque Sallustius inertes nobiles Titulis lapidum antiquorum comparat, qui nomen nobilium ostentent, praetereaque nihil, qui Titulum tam splendidum sibi uindicerent, sed personam illorum hominum, et munera, nullo possint modo sustinere, nisi forte intenderit animum ad morem priscum Romanorum, qui, Donato teste <sup>(p)</sup>, in aditu praediorum Titulum, seu nomen, suum inscribere solebant. Equidem, his modis explicari sententiam Sallustii posse, existimo, et consentientem, quod singulari mihi honori duco, habeo Criticorum nostrorum principem, ob innumerabilia in hanc artem merita, quoquoersus inclyta, summopere obseruandum, Illustrem Trillerum, qui, amplissimo iudicii sui testimonio, hanc emendationem meam, sicut reliquas omnes, perbenigne comprobauit. Idem tamen Vir Summus, cum uariae interdum unius corrupti loci afferri possint coniecturae, idque ipse in libro praestantissimo, Obseruationibus nimirum Criticis, satis superque declarauerit, pro, *in instituto* forte legendum censebat, *in institoria*, h. e. in taberna, qua uasa com-  
plura

(m) Iob. XIX. 20

(n) Curtius VII. 5. 39

(o) Cicero in Pison. cap. IX

(p) Donatus ad Ammian. Marcell.  
p. 845. Tom. VI. Thef. Gruter.



plura et cistulae, splendidissimis inscriptae nominibus, apparent, sed nihil saepius earum rerum, quarum superbiunt titulo, continetur. Sic nos ipsi meminimus, apud Liuium (g) scenam institoris, apud Suetonium (r) diuerforias tabernas, et institorias operas, et in Digestis (s) Titulum de institoria actione, legi. Quemadmodum igitur eiusmodi homines ostentare plura in tabernis suis, quam possidere, Trillerus dicebat, sic forte huc animum retulisse Sallustium, eruditissime conserbat. Sed idem tamen Polyhistor, alia quadam ratione, Sallustio succurrebat. Emendabat nimirum: *in quibus*, sicut in histrione, *uel* in histrionia, *praeter nomen nihil est additamenti*. Histriones enim, quoad in scena uersantur, dignitatem summorum saepenumero Principum, Regum, Imperatorum, obtinent, at, dimissa concione, eandem, quam antea, personam gerunt humilem, nihilque possident, nisi memoriam affectati nominis iucundam. Sperat huc locus (x) Hippocratis, quo Ill. Trillerus sententiae suae robur conciliabat. *Εκείνοι σχήμα μὲν, καὶ σολήν, καὶ πρόσωπον, ὑποκειτοῦ ἔχουσιν, οὐκ εἶσι δὲ ὑποκειτά.* Quas quidem coniecturas cum a Viro acceperim longe Doctissimo, non potui, quin, ob sui praestantiam, cum orbe, literis politico, communicarem.

Transeo ad Festum, quem elegantissimarum antiquitatum si nomenem thesaurum, nequaquam me, existimo, a

B uero

(g) Liuius XXXI. 25.  
 (r) Sueton. Ner. 127.  
 (s) Dig. de Institoria Actione 3.

(x) Hippocrates in Legge de Malis Medicis.



uero aberraturum, quando quidem uoces potissimum, ad ritus Romanos spectantes, et a Quiritibus, florente rep. usurpatas, non enarravit modo, sed etiam egregie admodum explicauit. Hic tamen iis in uerbis, quae accuratius in praesentia contemplari in animum induxi, pristinam suam perdidisse elegantiam, et insignem suscepisse maculam, uideatur. Sic enim ille (u). *Taenias, Graecam uocem, sic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum esse laneum capitis* honorati. Nihil hic Scaliger, nihil Dacerius (x), nihil alii, eruditione praestantes, obseruarunt, quod quidem ornamentum huic testimonio, et honorem, possit afferre, cum uniuersi prorsus ac singuli receptam illam, et longinquitate temporis inueteratam, retinuerint scripturam. Equidem neque infitior, ferri posse haec uerba, et quodammodo tolerari, propter ea, quod, teste Paschali (y), taeniae certissimum capitis, honore digni, decus haberentur, nec, si quis forte repugnauerit, et uetusta sese oblectauerit lectione, pro sententia mea, tanquam pro aris et focus, propugnabo. Nihilo tamen secius, conuenire multo aptius Festo et secum, et cum priscis scriptoribus, arbitror, si in hanc sententiam, facillimo negotio, locus emendetur: *Taenias, Graecam uocem, sic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum esse laneum capitis coronati*. Iam originem ultimam, et incunabula uocis, taenia, cum Vosio (z), Becmanno (a), reliquis, non copiosius

(u) Festus u. Taenias  
 (x) Scaliger et Dacerius in Obseru. ad  
 h. l.

(y) Paschalius de Coronis lib. IV. cap. 8  
 (z) Vosius Etymol. p. 509  
 (a) Becmannus de Orig. L. L. p. 1082



piosius in praesentia uberiusque indagabo, etsi, eam haud in-  
 commode, putem, ex uoce Graeca, *Ταινίος*, uel etiam ex Hebrai-  
 ca *תַּיִן* deriuari posse, sed potius ipsas taenias, seu laneos, qui  
 ex corona antiquitus dependebant, lemniscos, stricium sum-  
 matimque contemplantur. Quanquam autem hoc nomen ua-  
 rias ac diuersas comprehendit notiones, et apud Hesychium,  
 Etymologici M. Conditorem, Aristidem, alios <sup>(b)</sup>, pro coronis  
 ipsis usurpatur saepius, et taeniae arborum coronae a Gu-  
 thero <sup>(c)</sup> explicantur, totidemque coronae, quot taeniae  
 tortae, a Salmasio numerantur <sup>(d)</sup>, potiori tamen iure hoc  
 uocabulum coronae denotat uincula, quam coronam. Dicunt  
 Romani Vittas. Glossae. *Τάινια. Vittā.* Nec repugnat Isido-  
 rus <sup>(e)</sup>, sed inter infulam, siue coronam, et uittam, siue taeniam,  
 quantum discrimen intercedat, erudite docet. Suffragantur  
 Grammatici alii, et infulam *fasciam in modum diadematis*,  
*ex qua uittae (taeniae) dependent utrinque*, luculenter ex-  
 plicant <sup>(f)</sup>. Differunt igitur coronae et taeniae, sed nihilo  
 minus a scriptoribus uetustis, qui fidem merentur amplissi-  
 mam, perpetuo fere coniunguntur, ut inde omnino existi-  
 mem, taeniam coronati capitis ornamentum a Festo appel-  
 lari. Prodeat in medium Plutarchus <sup>(g)</sup>, et opinioni no-  
 strae grauissimum pondus addat. *Ἐκ τῶν κρημαμένων ἀναθημα-  
 τῶν ταινία τις ἀποξέβεται σεφάνους ἔχουσα.* Neque uero sperna-

B 2

<sup>(b)</sup> Paschal. de Coron. p. 229

<sup>(c)</sup> Gutherius de Iure Pontif. p. 257

et 258

<sup>(d)</sup> Salmasius in Solin. p. 371

<sup>(e)</sup> Isidorus XIX. 30

<sup>(f)</sup> Salmasius Exercitatt. Plin. p. 370

<sup>(g)</sup> Plutarchus T. I. p. 415. a





tur Appianus <sup>(b)</sup>. Ἐσεφάνωσε (αὐτὸν) δάφνεις ἀναπλεγμένῃς τα-  
 νίας λευκῆς. Haud dissimili ratione Nepos, a mendo tamen  
 suo liberatus, scripsisse mihi uidetur, dum, Alcibiadem co-  
 ronis aureis taeniisque, commemorat, donatum <sup>(i)</sup>. Multo  
 minus Virgilium huc respexisse dubitarem, quando uicto-  
 res, opibus superbos, eodem, docet, ornamento eluxisse <sup>(k)</sup>

*Puniceis ibant euincti tempora taeniis*

Quibus quidem uerbis Celeb. Taubmannus <sup>(l)</sup>, nostras,  
 coronas sibi uidetur inuenire lemniscatas. Sic numi apud  
 Biaeum eiusmodi ferta exhibent <sup>(m)</sup>, apud Choulium au-  
 tem <sup>(n)</sup>, Oiselim <sup>(o)</sup>, alios, tauros ostendunt sacrificio  
 destinatos, sed coronis simul ornatos, a quibus taeniae de-  
 pendent. Num igitur forte aberrabimus a uero, si, Festum,  
 credamus, taenias ornamentum capitis *coronati* dixisse.  
 Quid quod ipse uocem, ereptam sibi, et postea depraua-  
 tam, uindicare sibi certissime uidetur, dum, ad declaran-  
 das uittas antiquas, Ennii uersum adhibet, quo corona et  
 taeniae iterum sociantur <sup>(p)</sup>.

*Volans de coelo cum corona et taeniis.*

Sed, ne quid facile, quod ad confirmandam sententiam no-  
 stram pertinet ac defendendam, reliqui faciamus, duo ad-  
 huc

<sup>(b)</sup> Appianus de Bello Ciuil. II. p. 495. Ed. Steph.

<sup>(i)</sup> Nepos Alcib. VI. 3

<sup>(k)</sup> Virgil. V. 269

<sup>(l)</sup> Taubmannus ad h. l. p.

<sup>(m)</sup> Biaeus Numism. Roman. Impe-  
 rati. T. XIV. n. 12. XV. I. 3. 5

<sup>(n)</sup> Choul. de Relig. Vett. Romanor.  
 p. 246

<sup>(o)</sup> Oiselius. Thef. Numism. Ant.  
 CXI. 4

<sup>(p)</sup> Festus u. Taenias





huc Viri, quorum sancte ueneramur immortalia merita, commemorandi sunt nobis, cum nostrae repugnare opinionioni uideantur. Alter enim, Iosephus Scaliger <sup>(q)</sup>, non tam ad coronas, quam fascias, quibus inuoluerentur mortui, Festum intendisse animum arbitratur, propter ea, quod Caecilii se tueatur testimonio, qui palliatam comediam, non togatam, scripserit, ob eamque causam, Graeco potius, quam Romano, more, de fasciis sepulchralibus debeat explicari. Do haec libenter, et largior, Viro Eruditissimo, at Graecos coronas sepulchrales, quibuscum taeniae coniunctae erant, penitus ignorasse, mihi persuadeo nunquam, cum Cel. Kirchmannus <sup>(r)</sup>, consuetudinem coronandi mortuos, ab ipsis receptam Graecis, demonstrarit. Cur igitur huc Caecilium dubitemus respexisse, cum Graeci mortuis fersa imposuerint, et fasciae praeterea sepulchrales, non caput tantum, quod Festus notat in primis, sed uniuersum corpus, texerint, ac ne recordari quidem possum, has fascias a Romanis aut Graecis taenias fuisse unquam appellatas. Alter Gisb. Cuperus <sup>(s)</sup>, Vir Doctissimus, cum, Varronem, aliquando legeret, apud Seruium taenias magni honoris aestimasse, nec ullum reperiret huius rei apud eum uestigium, Verrium sufficere studuit, ob eamque causam ad haec Festi uerba confidenter prouocauit. Sed, ut taceam, uniuersos prope ac singulos, ipsumque Scaligerum <sup>(t)</sup> fragmen-

B 3

tum

<sup>(q)</sup> Scaliger ad loc. Festi citat.<sup>(s)</sup> Cuperus Obseru. I. 6. p. 34<sup>(r)</sup> Kirchmannus de Funcr. Roman.<sup>(t)</sup> Varro edit. Scalig. in Fragm.





tum hoc Varroni vindicare, illud tamen praetermittendum cenſeo nequaquam, Seruium, in testimoniis ſcriptorum ueterum allatis, uerba eorum ſummo plerumque ſtudio ſeruafſe (u), nec facile quicquam immutaſſe. At Verrius longe aliter loquitur ac Varro, nec magni honoris fuiſſe tae-  
nias, ſed capitis maxime honorati, ſeu coronati potius, teſtatur, ut inde diuerſa Varronis ſententia a Verrii uideatur. Et, quid impedit, quo minus, et ipſum Varro-  
nem haec uerba in iis, quorum fecimus iacturam, uolumi-  
nibus, forte in libris περὶ δόξης, a Fabricio (x) memoratis, conſignaſſe exiſtimemus

Magna uero, Vir Plurimum Reuerende, Iosepho Scaligero, admirabili temporum ſcientia nemini ſecundo, habenda eſt gratia, quod ad Chronicon Eusebii, cuiusque Latinam maxime Verſionem, uel illuſtrandam elegantius, uel miniatula cere-  
la notandam, uel ab ignorantia et ſtupiditate librariorum defen-  
dendam, egregium contulit et incredibilem laborem. Inte-  
rim tamen, quod omnes Eusebii Pamphili admiratores largi-  
entur facile, permulta adhuc quotidie ſeſe offerunt, quae ani-  
mum, in Historiam ueterem intentum, conuertant in ſe accu-  
ratiuſ, ac ſaepe numero teneant impeditum, ut, quo ſe uertat,  
penitus ignoret. Refero huc uerba inſignia, quae Lato-  
nam, Iouis coniugem, nobis ſiſtunt, et in omnibus antiquis  
codicibus ſic leguntur (y)

*Nam Latona, Iouis coniux, tum per titia fugit*

Intel-

(u) Conf. Seruius ad Ecl. I. 83. VI.  
72. VII. 33. Aen. V. 412. et ſaepe

(x) Fabricius Biblioth. Lat. Lib. I. Cap.  
7. p. 84

(y) Scaliger ad Euseb. Chronic. p. 13. b



Intellexit optime, miserandam maculam suscepisse Eusebium, Arnaldus Pontacus, Episcopus Vafatensis, ob eamque causam, ipso teste Scaligero, ut a tanto monstro liberaret Historicum, pristinam ei restituere studuit dignitatem:

*Nam Latona, Iouis coniux*, tempore Tityi fuit  
At, si metro quodam haec uerba, sicut ipsa res loquitur, et Sarravius (z) maxime statuit, inclusa sunt, ac certis pedibus suffulta, Pontacum, dubito, ueram Poetae sententiam indagasse, licet Scaliger eiusdem emendationem comprobauerit, et in Chronico Eusebii (a) studiosissime feruarit, a Sarrauio tamen ideo castigatus. *Scaliger parum inuat, qui sibi ipsi non satisfacit.* Adiiicit praeterea sententiam Casauboni. *Casaubonus legebat sensu commodo, et plena sententia, usurpaticia, sed uersus, si uersus esse debet, repugnat.* Equidem, ut saepius monui, ne quis ineptam obtrectandi libidinem, a meo semper ingenio abhorrentem, turpiter mihi obiiiciat, uenerari me horum Virorum doctissimorum, aliorumque, eruditionem, profiteor, a quorum lectione nunquam, nisi doctior, nisi politor, discedo, sed simul potestatem mihi concessam arbitror, ea, quae sentio, debita reuerentia proponendi, cum, in ciuitate literata, suam cuique liceat sententiam aperire. Insisto igitur uestigiis codicum, et coniioco hunc in modum

*Nam Latona, Iouis coniux, tum percita fugit*  
Vox nimirum, percita, a profanis scriptoribus frequenter usurpatur, cum homines nobis ante oculos proponunt, quos

(z) Sarravius Ep. 58. p. 56

(a) Chron. Euseb. Lat. Vers. p. 55





uel metus, ac timor singularis, quasi de mentis gradu deiecit, ac penitus prostravit, uel amentia et insania totos occupauit, ut nihil rationi consentaneum moliri possint. Sic Cicero, auctor summus, qui, ut ipse praecipit <sup>(b)</sup>, Poetis fuit finitimus, cum Clodium, tanquam bestiam furibundam nec mentis compotem, dementia potius et rabie inflammata, in conspectum producit, illum irato animo multa, memorat, et percito, fecisse. Nec uero, ut alios complures praetermittam, Christianorum Tullius, Lactantius, <sup>(c)</sup> libro, aduersus hostes religionis nostrae atrocissimos conscripto, huius uocis mentionem facere dubitauit. Perciti, inquit, *perferuntur* (feruntur) *coeco et irrationabili furore*. Quae tamen ut maiori excelleret pulchritudine, sic Heusingerus <sup>(d)</sup> correxit. Percientur (perciuntur) *coeco et i. f.* Praeterea ipse Virgilius <sup>(e)</sup>, diuino quasi spiritu, quem a Poetis requirit Cicero <sup>(f)</sup>, percitus singularem in modum et agitatus, commodissime sese elegantissimeque Baccham furentem descripturum, putauit, similem si uocem adhiberet.

*Commotis excita sacris*

Graeci dicunt *ἐκασθένειδος*, ut ex Euripide, Sophocle, aliisque constat satis. Nihilo tamen fecius idem uocabulum tribuitur hominibus, qui, spectaculo quodam aut mirabiliter facto perterriti, omnem fere abiiciunt animum, nullumque habent, quo curas suas et sollicitudines possint leuare, per-  
gium

<sup>(b)</sup> Cic. de Oratore lib. I

<sup>(e)</sup> Virgil. Aen. IV. 301

<sup>(c)</sup> Lactantius V. 22

<sup>(f)</sup> Cicero pro Arch. cap. 8

<sup>(d)</sup> Heusingerus Emendat. I. 5. p. 89

22 1 22 91 uoluntate (e)



gium fecundum. Itaque Terentius (g) pariter, atque Plautus (b), homines, obtupectos celeriter, et incredibiliter percussos, eodem appellant nomine, et Lucretius, cum, ciues uno mandato, meminit, perturbari, idem uocabulum usurpat (i)

*Praeterea dictum saepe unum perciet aures*  
Et rursus (k)

*His ubi me rebus quaedam diuina uoluptas*  
*Percit atque horror*

Ac Poeta quidem merito Latonam, Iouis coniugem, percitam uocat, siquidem ueteres plerumque scriptores, in primisque uates Cyrenaeus (l), Iunonem, docent, singulari Latonae odio flagrasse, tantoque eam furore prosequi consueisse, ut illa fugam continuo capere, et, quod commorandi nusquam daretur facultas, ex insula in insulam se recipere cogeretur. Suffragatur Pausanias (m), et Ouidius praefertim (n), qui, Iunonis conspectum euitasse omni studio Latonam, testimonio confirmat luculento

*Hinc quoque Iunonem fugisse puerpera fertur,*  
*Inque suo portasse sinu duo numina, natos*

Nec tandem nostrae repugnat coniecturae Eusebius, dum, Triptolemi tempore, Tantalum et Tityum floruisse, Apollinem autem in lucem prodiisse, Latonamque tunc fugae se dedisse, arbitratur

C

Sed

(g) Terentius Heeyr. III. 3. 17  
(b) Plautus Menaechm. II. 1. 44. et  
Ca. III. 5. 6  
(i) Lucretius VI. 567

(k) Lucretius III. 28  
(l) Callimach. Del. 55. 57. 99  
(m) Pausan. VIII. 53  
(n) Ouid. Metam. lib. VI. 337. 338



Sed deferam aliquando, pace tamen Tua, Vir Plurimum Reuerende, Latium, et Graeciam adibo, quae tantis profecto, tamque miserandis, adhuc laborat fordibus, ut, eandem quamuis studiosissime Viri Docti perlustrent, tamen, ob plurimas, quae sese obiciunt, difficultates, pedem referre saepenumero cogantur. Constitueram quidem, perelegantem locum Strabonis <sup>(o)</sup> explicare, quo ille uaria cognomenta recitat, Cybeli tributa, in primisque eam *Ιδαίων, καὶ Δινδυμήνην, καὶ Πυλῆνην*, testatur appellatam, ob eamque causam *Σιπυλῆνην* corrigere studebam. At, cum, amicum quendam Petiti <sup>(p)</sup>, postea acciperem, in eandem longe ante sententiam, a Casaubono <sup>(q)</sup> tamen praetermissam, discessisse, nec dissimili ratione deprauatum emendasse locum, omittere omnino malui, quam rem, ab aliis iam elegantissime tentatam, uel uindicare mihi, uel uberius illustrare, etsi non tam praerepto hoc mihi argumento doluerim, quam potius exultarim, eadem mihi, quae Viro Doctissimo, in mentem uenisse. Ad Diogenem igitur Laertium transeo, qui, in enarranda Aeschini uita, ob insignem, qua inuolurus iacet interdum, obscuritatem, cogitandi curam eruditissimis hominibus attulit ancipitem, maxime tamen Criticorum animos his uerbis in se conuertit <sup>(r)</sup>. *Διὸ καὶ τὸν Τίμωνα εἰπεῖν ἐπ' αὐτῶν (Αισχίνῃ), ἢ τ' Αισχίνῃ ἐκ ἐπιπευθῆς ἡγάσθη.* Sic Clericus, qui uitam Aeschini, ex Diogene Laertio de-

prom-

(o) Strabo X. p. 323

(p) Petrus de Amazon. p. 269

(q) Casaubonus ad Strab. p. 161

(r) Vita Aeschini ex Diog. Laert. praefix. Dialog. Aeschin. a Clerico edit. p. 6



promptam, huius praemisit Dialogis, exarauit, adiecta simul interpretatione Latina. *Aut Aeschinis nolens obsequi ut scribat.* At Menagius <sup>(s)</sup> in hanc sententiam Diogenem facit loquentem: ἢ τ' Αἰσχίνης ἐν ἀπειθείᾳ γράψαι. *Sine Aeschinis haud contumax scribere.* Iam utramque Tecum, Vir Plurimum Reuerende, uersionem cogita, utramque pondera suis momentis accurate, nihil tamen facile, quod tueri possis eam ac defendere, deprehendes, cum non modo difficultate singulari impedita, sed etiam a uero aliena, esse uideatur. Vidit ipse Menagius, quantum his uerbis uitium delitescat, atque, ut Diogeni Laertio ueniret auxilio, et aegrotanti mederetur, hanc attulit scripturam <sup>(t)</sup>. Ἴς τῷ Αἰσχίνης ἐν ἀπειθείᾳ γράψαι. Sed num, omnibus dispulsis tenebris, maiori luce iam auctor explendet, aliorum relinquo iudiciis perquirendum. Interim miratus omnino sum, Erud. Clericum <sup>(u)</sup> adeo de loco hoc corrupto desperasse, ut *fatuum crederet, in eiusmodi lacero fragmento ingenium ostentare, cum sint omnia hic incertissima, et centum quidem coniecturis attingi scopus forte queat, ita certe, ut nullum supersit dubium.* Hactenus ille. Itaque, in tanta rei obscuritate, qua crassis omnia tenebris occultata latent, cum locus Diogenis Laertii adli- quidum perduci uix possit, liceat aliquando, sed ea, qua decet, reuerentia, in medium afferre coniecturam, non, ut liberemus omni statim uitio scriptorem, quod perdifficile

C 2

ficile

<sup>(s)</sup> Diog. Laert. Edit. Menag. p. 48

<sup>(u)</sup> Clericus ad h. l. p. 7

<sup>(t)</sup> Menagius ad h. l. p. 65



facile uidetur, sed ut elegantissimis hominibus uberiorem suppeditemus occasionem, diutius studiosiusque haec uerba considerandi. Equidem sic censeo legendum. Διὸ καὶ τὸν Τίμωνα εἶπεν ἐπ' αὐτῷ ἢ τ' Αἰσχίνης, ἢ τ' ἐπεποιθὼς γράψαι. *Aut es Aeschines, aut scribere non audes.* Commemoratur nimirum Diogenes, Aeschinem, peragratis pluribus regionibus, rediisse Athenas, sed ob famam Platonis, qui admirationem ubique excitarit, publice docere, ac philosophari, noluisse, interim tamen uocem in quaestum contulisse, et eorum, qui afficerentur iniuria, uariisque calamitatibus premerentur, patrocinium causamque suscepisse, eaque re singularem animi fiduciam et magnitudinem comprobasse. Εμμίδης δὲ ἀρεσάσεις ποιείσθαι, εἶτα συγγράψεν λόγους δικανικὰς τοῖς ἀδικουμένοις (x). Itaque Timon eos uidetur, prouerbio quasi, uocasse Aeschines, qui defendere alios alacri animo auderent, at, qui subterfugerent hoc officium, hos timoris et ignauiae postulasse, quippe a qua Aeschines longissime abesset. Quid quod alia ratione succurri posset Diogeni, si hunc in modum disseruisse crederes Timonem. ἢ τ' Αἰσχίνης, ἢ τ' ἐν ἐπιδείῃ γράψαι. *Aut Aeschines es, aut non opus habes scribere.* Cum enim, lucricaussa, instituisse scholam domi Aeschines dicatur, quidni eum ideo reos a criminibus obiectis putes uindicasse, ut hi pecuniam soluerent, eoque is modo uitam, miseram profecto ac miserandam, sustineret. Iubet igitur Timon

(x) Diog. Laert. p. 48

(y) Glossae Latino-Gr. u. Abba



mon, aut Aeschinis, seu facultatibus destituti, qui scribendis orationibus uictum quaeritet, aut diuitis, et opibus abundantis, qui aliorum orare causam non habeat necesse, institutum homines imitari. Sed ex his, Vir Plurimum Reuerende, quae probabilia uideantur maxime, feligas, cum modo coniecturis augurari tanta in caligine possimus. Postremo loco ad Glossas antiquas accedo, quarum etsi maximam partem Labbeus, Salmasius, Scaliger, Heraldus, alii, sanarunt, complures tamen adhuc adeo cum aduersa fortuna conflictantur, ut, qui medicinam uelit omnibus adhibere, satis arduum suscepisse negotium uideatur. Tentabo in praesentia, num adiuumentum aliquod afferre possim ad opus longe utilissimum, sed, temporis praesentis rationem habiturus, exordium modo breuiter contemplanbor. Legitur nimirum (1). *Abba πίττα, τέττα*. Iam quid sit *πίττα*, neque ego explorare ualeo, nec ipse Vulcanius potuit demonstrare, qui *Abba, τέττα*, exarauit, at *πίττα* alto silentio praetermisit. Equidem non dubito, quin *Abba, άττα, τέττα*, scribere debuerit librarius. Prouoco ad Hesychium (2). *Άττα - προσφώνησις Φιλοφρονήσιμη νέε προς πρεσβύτερον και τροφέα, ως ή πάππα προς τον πατέρα*. Consentit Suidas elegantissime, testemque huius uocabuli adducit (a). *Άττα προσφώνησις νεωτέρεε προς πρεσβύτερον άττα γέρον δοιός με καλεϊ γά-*

C 3

μος.

(2) Hesych. u. *άττα*

(a) Suid. h. u.



μος. Eaedem Glossae. (b) *Abiugo* ἀποχωρίζω, *abiungo* ἀποζεύγνυμι. Vides uoces translatas, ob eamque causam suo quamque loco reponē. *Abiugo* ἀποζεύγνυμι, *abiungo* ἀποχωρίζω. Porro (c) *Abluimatio* ἀμύεσις. Lege *Abluminatio*. Sic Du Fresne illustrat uocem, *ablucinato*, h. e. *lucis alienatio, et absentatio*, ut loqui solet (d), et Dioscorides (e) ὀφθαλμῶν ἀμύεσιν commemorat perinde, ac Philo (f) Φλόγα ἀμυεῶν V. T. temporibus, docet, interdum apparuisse. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

Habebam alia in promptu, quae ad Tacitum, Senecam, Plinium, Curtium, pluresque scriptores, illustrandos, conferre non nihil posse uidebantur, sed, destitutus spatio, ea in aliud tempus, idque commodius, referuo. Interim, num operae pretium in his fecerim, pro sagacitate Tua, Vir Plurimum Reuerende, elegantiorumque literarum peritia, facile perspicias, quam, ab ineunte aetate, cum sanctorum rerum cognitione tanto coniunxisti cupidius, quanto maiores Tibi ab utriusque disciplinae scientia fructus promissisti. Infixum adhuc mentibus nostris haeret indefessum illud studium, quo, in Academia nostra, sede Musarum et domicilio celeberrimo, complures annos, et Theologorum, et Philosophorum, in sua facile scientia principum, Scholas

(b) *Gloss.* u. *abiugo*(c) *Gloss.* u. *Abluimatio*(d) *Du Fresne Glossar.* T. I. p. 22(e) *Dioscorides* VII. 17(f) *Philo* de Vita Moſis lib. II



las quotidie frequentasti, quippe cum Te censeret beatif-  
simum, a tantorum ore Virum si continuo posses pendere,  
doctrinasque percipere, non utiles modo et frugiferas, sed  
iucundas etiam et amoenas. Quibus quidem eruditus, in  
publicum prodiisti, tantoque confidentius, uel coelestes ue-  
ritates e suggestu sacro explicasti, uel argumenta, ad di-  
sputandum proposita, oppugnasti, uel denique in explora-  
tionibus, acerrime institutis, ingenii aciem, eruditionis co-  
piam, oris facundiam, comprobasti. Nihil igitur restabat,  
nisi ut diligentia Tua dignos perciperes fructus, et nan-  
ciscereris campum, in quo uirtus Tua excurrere posset, et  
latissime uagari, aliorumque animos in se conuertere, qui  
et integritate morum, et ingenii praestantia, delectari sole-  
rent. Itaque Illustris Gens Dieskauia, et antiquitate gener-  
is, et meritorum amplitudine, insignis, pignus suum, quod  
habebat unicum, quod in oculis ferebat, Tuae committebat  
fidei, ut elegantissimis institueres saluberrimisque discipli-  
nis, et ad maiora in dies, locique digna fastigio, ornamen-  
ta capienda praeparares. Perfuncto his laboribus nouum  
Tibi munus, spe Tua et opinione citius, prouida Summi  
Numinis cura defert, et, conciliata partim Celsissimi Comitis  
de Stubenberg, Herois, Fama Nominis Inclyti, et cuique  
merito Suspiciendi, gratia, partim conseruata Illustris Gen-  
tis Dieskauiae indulgentia, Te Nerchauiam euocat, ad sub-  
eundum



QA T. 44

XXIV



eundum officium, et Tibi ipsi iucundissimum, et Tibi concreditus, salutare. Hic, Diuino Spiritu agitato, ueritates, sanctissimis Pandectes literis consignatas, sua uitate singulari et scientia propones, hic reconditas, et ab aliorum intellectu remotas, clarissima luce collustrabis doctrinas, hic aduersarios, nimiam sibi fumentes arrogantiam, nimiosque spiritus, refutabis, hic non profanorum scripta auctorum, sed, quod longe praestat, mores auditorum Tuorum, quandocumque Tibi commodum uideatur, emendabis, nihil denique intermitteres, quod ad explendas partes Tui muneris ullo modo pertinere possit. Equidem hac noua, qua nuper es auctus, dignitate, singularem in modum gaudeo, Deumque Immortalem rogo, ut laboribus Tuis, in posterum suscipiendis, fortunam semper adiungat, prosperrimam Tibi ualeitudinem largiatur, et, quicquid laetum et secundum sit, Tibi propitius tribuat, quicquid triste aduersumque, a Te longissime auertat. Interim hoc mihi affirmanti, uelim, credas, amicitia Tua integerrima, qua non dubito quin me diutius prosequaris, mihi uel optatius, uel amabilius, esse nihil. Ita uale, resque Tuas feliciter age.

Dab. Vitembergae d. VI. Cal. Aug. A. R. S.

M D C C L I V

---

V I T E M B E R G A E  
 P R E L O E P H R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D I  
 A C A D E M I A E A T Y P I S

(K2627274)
















Farbkarte #13

B.I.G.

Q.N. 532,44

B. M. II 645

M. HENRICI AVGVSTI ZEIBICHI  
ORD. PHIL. ADIVNCTI  
EPISTOLA CRITICA  
AD  
VIRVM PLVRIMVM REVERENDVM  
M. IO. GOTTLOB  
RVHMERVVM  
DIACONVM NERCHAVIAE  
RITE NVPER CONSTITVTVM

